

THESES THEOLOGICÆ.

DE

BONIS OPERIBUS,

quas

Adspirante Gratiâ Divinâ,

In Illustri Gymnasio Schon-  
aichiano ad publicam disputationem

Præside

ERNESTO NOLDO,

sacrarum literarum Professore

Proposuit

CHRISTOPH. HOFMANNUS,

Polonus, loco & horis consuetis.

die 29. Augusti.

BETHANIÆ AD ODERAM,

TYPIS JOHANNIS DORFFERI.

ANNO clb Is cxx.

REVER. dis & CLAR. mis  
VIRIS,

DN. { MARTINO GRATIANO } Eccl. Ortho-  
          { JOANNI TURNOVIO } dox. per Ma-  
                                  { S. S. THEOL. D. } jor. Poloniã  
                                  { } Antistitib. vi-  
                                  { } gilantissimis.

Nec non,

Reverend. & Doctiss. Viris,

DN. { NICOLAO RAUSMANNO } Eccl. Or-  
          { JACOBO VVOLFPHAGIO } thod. per  
                                  { } Maj. Pol.  
                                  { } Consen-  
                                  { } dignis.

Dominis Fautoribus, Promotoribus, ac  
Patribus suis in Christo perpetuum  
honorandis,

Tenues hasce suorum studiorum primitias, gra-  
titudinis & observantiæ contestandæ ergò, in-  
scribere meritò, debuit, & lubenter  
voluit

Christophorus Hofmannus

Autor & Respondens. T



426422

## THESIS I.



Um multiplex sit scripturæ  
sacræ usus: ut docet Apostolus 2  
Tim. 3. v. 16. Eò tamen, tanquam ad  
finem communem usus ille omnis  
ab eodem refertur: *ἵνα ἀρτιῶ ἢ ὁ τῆ  
θεῶ ἀνθρώπῳ, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθόν  
ἐξηρησιμῶ.*

II.

Et mox sequenti capite, obte-  
netur quoque Timotheum, coram Deo, & Domino Jesu  
Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, in illustri suo  
adventu, & regno suo: ut prædicet sermonem illum: instet  
*Κηλίως, ἀκαίρως*, arguat, objurget, exhortetur cum omni le-  
nitate & doctrinâ. 2. *ad Timoth. 4. v. 1. 2.*

Idcirco patet facile: quo loco esse debeat Tractatio  
de bonis operibus apud Christianos; hoc est, populum illum  
Christi *παιδίον*, quem ipsum quoque *Ζηλωτῶν καλῶν ἔργων* Apo-  
stolus vocat. *Tit 2. v. 14.*

IV.

Quæ verò de bonis operibus moveri & moneri in Scho-  
lis solent, cum fructu & utilitate: inter ea tres quaestiones hæc  
facile primas obtinent:

- I. Quænam opera bona docenda & faciendâ sint.
- II. Quomodo fieri possint, ut Deo placeant.
- III. Cur faciendâ.

V.

Cùm quaeritur, quæ bona opera docenda & faciendâ  
sint; duo inprimis probè perpendenda veniunt; nimirum,  
qui

qui nos simus; quibus bene agendi incumbit necessitas: & quisnam ille; cui bene operando, placere conamur.

*VI.*

Quod ad nos attinet: deprehendimus illicò corruptionem, quæ nostra mens ita est obtenebrata: ut nec quid Deo placeat, quidve displiceat; neq; quid ad verum Dei cultum & æternam animarum nostrarum salutem pertineat, per nos intelligere queamus. *Job. 14. v. 5. Quis profert mundum ex immundo? ne unus quidem. Et 15. 14. 15. 16. Jesa. 53. 5. 6. I. Corint. 2. v. 14. Job. 1. v. 5. 18. & c. 9. v. 39.* Deinde voluntas ita est depravata: ut, licet homo sibi bene velit: tamen eorum, quæ ad verum Dei cultum & salutem suam æternam requirantur, nihil velit: quin potius ut quam vehementissimè velit his contraria. *Gen. 6. v. 5. & cap. 8. v. 21. Rom. 7. v. 23, & 8. v. 7. Ephef. 2. v. 1. 2. 3. Rom. 3. v. 10. & seqq.*

*VII.*

Proinde frustraneum suscipimus laborem: imò extremæ arguimur stultitiæ; cum opera excogitamus, quibus Deum colere, sine ejus mandato connitimur: præsertim, cum ipse dicat: Frustra me colunt mandatis hominum. *Matth. 15. v. 8. 9.*

*VIII.*

Verum enim verò, cum oculis animi majestatem Dei contemplamur; non possumus non admoneri reverentiæ ergà ipsum: ut hoc solum illi placere statuamus; quod ipse suo præscribit & præcipit nobis verbo. *Deuter. 4. v. 67. 89. & 12. 32. Ezech. 20. 32. Jerem. 7. 30. 31. Matth. 15. 9. Coloss. 2. v. 18.*

*IX.*

Cum igitur certum sit: nec alia opera docenda aut facienda esse; quam quæ nobis præcepta sunt in verbo Dei, & quorum summa comprehensa est in Decalogo: inde tanquã fulmine prosternitur doctrina Ecclesiæ Romanæ, de traditionibus;

bus; quæ sunt ἐπιτάγματα καὶ διδασκαλίαι τῶν ἀνθρώπων, de votis, de confelsione auriculari, de satisfactione, de purgatorio, de indulgentiis, & quicquid ab iis verbo Dei additum & affictum est; quæ illorum Monachi, cultum Dei definiunt: quod probare tam possibile ipsis erit, quam oceanum cribro exhaurire.

*X.*

Secunda quæstio est: quomodo fieri possint, ut Deo placeant. Hic operæ precium est, id respondere; in quo mens, pia tutò acquiescere possit. Christus dicit discipulis suis: sine me nihil potestis facere, Ubi salutares actiones intelligit. Et Paulus Hebr. 11. v. 6. sine fide, inquit, impossibile est placere Deo. Et idem: qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.

*XI.*

Ex hisce & similibus sacre scripturæ dictis, liquidò constat: quòd hæc tria potissimùm requirantur; ut bona opera fieri possint, quò Deo placeant. Primum, vera Christi agnitio: secundo, Fides, quæ est viva in Christum μεσίτην fiducia, quæ homo solâ, justificatur. 1. *Job. 5. 10.* Tertiò, vivificatio per Spiritum Sanctum; qui est vera causa efficiens principalis, & creator omnium bonorum operum in fidelibus. Unde ad *Gal. 5. v. 22.* bona opera fructus Spiritus appellantur. Nisi enim à Spiritu Sancto denuò creemur & renovemur ad bona opera; nihil possumus boni efficere. Mala enim arbor, non nisi malos fructus profert: & cum nostra natura corrupta sit: eam à Spiritu Sancto per verbum renovari prius, quàm bona operetur, necesse est. *Johan. 3. v. 6.* Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Cum igitur per Spiritum Sanctum renati & verâ fide donati & renovati sumus: tum fides in nobis per charitatem efficax est. *Gal. 5. v. 25.*

*XIII.*

XII.

Hinc itaq; per Antithesia patet : homines notitiã Christi, fiducia in Mediatorem, & vivificatione per Spiritum Sanctum destitutos, ne inchoare quidem posse bona, Deoq; placencia opera; nedum perficere aut consummare.

XIII

Ethnicorum porrò præclaræ virtutes, & res optimè coram mundo gesta, suam quidem coram hominibus laudem merentur: & Deus etiam universali amore, quo omnes creaturas prosequitur, præ aliis complectitur eos; qui vel temperantia vel justitiæ, vel aliis virtutibus studuerunt, eosdemq; temporalibus præmiis afficit, & in æterna, à qua ipsi propter incredulitatem minimè excipiuntur, damnatione, supplicio tolerabiliore vindicaturus est. *Joban. 19. v. 11. Matth. 10. v. 15.* Ubi Christus de inæqualitate pœnarum æternarum differit. At fieri non posse bona opera, Deoq; placencia, nisi à conversis, & per lavacrum regenerationis renovatis hominibus: satis superque patet ex dictis: *Ezeh. 36. 27.* Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam; ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & operemini. *1. Job. 5. 18. Matth. 7. v. 7. Rom. 2. v. 14. v. 5. & cap. 4. v. 1. & seqq.*

XIV.

Ceterùm, ut hæc quæstio determinetur distinctiùs, quatuor ordine sunt observanda: Primò quidem statuatur renatus se reconciliatum esse Deo fide, propter Filium Dei. Deinde fateatur se nondum posse legi plenè perfectèq; satisfacere. Nam hærent etiam in justificatis & Deo reconciliatis multæ infirmitates, & interiora peccata. *Ps. 143. 1. Job. 1. 8. Ps. 18 Rom. 7. 23. Matth. 6. 12. Psal. 130. 3. item. 32. 5. Daniel. 9. 7. & 9. Rom. 3. v. 12.* Tertiò reconciliatus, cum Paulo & Davide verè deplorabit hæc immundiciam, caliginem, pravitatem, vitiosos affectus: precabitur veris gemitibus, ne Deus sibi vitia in natura

natura reliqua, imputet. Quartò, etsi agnoscit justificatus haud quaquam se ita purgatum esse: ut ejus mens nihil tenebrarum & ignorantie de Deo; voluntas nihil inimicitia adversus Deum, vita nihil culpæ & vitii habeat; nihilominus statuet, oportere inchoari novam obedientiam; & hanc, licet sit manca, mutila, & multis modis contaminata; tamen in reconciliatis placere Deo, propter Filium Mediatorem; qui nostram invocationem & nostros cultus perfert ad Patrem, & condonat infirmitatem. *1. Petr. 2. 5. Gen. 4. 4. Hebr. 11. v. 4. 1. Petr. 3. v. 21. 22. 1. Job. 2. v. 1. 2. Rom. 8. v. 1. 23. 31. usq. ad finem capituli. Hebr. 12. v. 18. usq. ad v. 25.*

XV.

Unde & hoc emergit: quod nostra obedientia non placeat, vel propter dignitatem operis in se, vel ob perfectionem vel propter ordinem & statum hominis. Non enim magis delectatur Apostoli Petri virtutibus, quàm Cornelii aulici, seu Centurionis de quibus *Actor. 10. & Matth. 8. cap.* Quare manifestus est error eorum, qui existimant: sanctitate ordinis sui & status, opus Deo commendari.

XVI.

Tertiã quæstionem quod attinet; Sacrosanctæ literæ tres causas gravissimas bonorum operũ, subinde renatis & justificatis inculcant, quæ sunt: necessitas, dignitas, præmium. De quibus sigillatim, quid sentiendum sit, breviter exponam.

XVII.

Necessitas triplex dari potest. 1. Mandati. 2. debiti, 3. vitiationis pœnarum; quarum quælibet tanta est: ut nos merito ad opera dilectionis Dei, & charitatis erga proximum, strenuè & alacriter facienda, impellere possit.

XVIII.

Ne verò cavillationibus locus relinquatur: admonitio

de genuina necessitatis significatione necessaria est. Aliam enim externa, & violenta est necessitas; quando quis vi externâ, cui resistere nequit, præter suam voluntatem rapitur. Ut cum ventus aliquem in præceps agit, aut lictores in carcerem abripiunt. Ejusmodi necessitatem violentam minime hinc intelligimus.

XIX

Loquimur autem de necessitate voluntaria seu hilari obedientia filiali renatorum, quam Deus mandavit electis credentibus. *Matth. 5. 16. Job. 15. 12. Rom. 6. 12. 1. Thes. 4. 3. Rom. 8. Psal. 110.*

XX

Necessitas debiti *Rom. 8. v. 12. indicatur his verbis: debitores sumus, non carni, sed spiritui. 1. Cor. 6. 20. 1. Iohan. 3. v. 8. Rom. 8. v. 13. 1. Timoth. 5. 8. Tit. 2. 11. & seqq. & c. 3. v. 2. & seqq. Gal. 5. v. 22.*

XXI

Necessitas vitandi pœnas temporales & æternas stabilitur Davidis testimonio. *Psal. 6. & 2. 38. etc.* Propter iniquitatem corripis filios hominum. *Matth. 7. 19. Rom. 8. 13. Rom. 8. & 7. 8. cap.*

XXII.

Dignitas in hoc consistit: quod credentes sint filii Dei, & templum Spiritus Sancti viventis: quod Pater, Filius & Spiritus S. ad ipsos veniant, & in ipsis mansionem faciant. *Iohan. 14. v. 23.* quod Christi sint membra. *1. ad Corint. 6. v. 15. 16. 17. 18. 19. 20.* Ex adverso probè revocetur ad animum; quàm atrox & immane scelus sit; si filii Dei imaginem Satanae, hostis Dei, referant: templum Dei immundicie conspurcent, adeoq; Spiritum Sanctum flagitiis suis nõ minùs è suo exturbent hospicio, quàm apes fumo, & columbae foetore, sedibus suis pelluntur.

XXIII.

XXIII.

Cum igitur filios Dei nihil magis commendet; quàm Patrem suum Cœlestem imitari, qui inquit: Sancti estote; quia ego sanctus sum. *1. Petr. 1. v. 15. & cap. 2. v. 1. usq; ad v. 13.* Et Divus Paulus ait: nos ad sanctitatem vocatos: *Ephest. 1. v. 4. 5. 6.* quis non videt, quod sanctos summum deceat sanctimoniam studium?

XXIV.

Plena deniq; est sacra scriptura promissionum de spiritualibus & corporalibus præmiis: nimirum omnes sanctos in suis calamitatibus, quas sustinuerunt, tandem ad præmium gratuitum & recompensationem respexisse. *Hebr. 11. 1. Petr. 1. v. 8. 9.*

XXV.

Et si autem fide promissionis solâ renati, se justos coram Deo pronunciatos, firmiter credunt: tamen extra justificationem, etiam ad alias promissiones animum intendunt. Nam cum Deus Pater obtemperantibus suo verbo, promittat præmium: mens pia promissionem fide amplectitur, & expectat mercedem promissam.

XXVI.

Sed caveat sibi pius, ne cum elato Pharisæo, jactet sua opera, eorumq; dignitate nitatur: sed firmiter sibi persuadeat: mercedem dari non ex merito; sed ex gratia ut gratuitam remunerationem, idq; primò: ut opera nostra sibi propter Filium suum unigenitum Christum Jesum ejusq; unius meritum placere ostendat. Deinde, ut hoc præmium gratuitum, omnibus certantibus ac strenuè laborantibus, propositum esse, doceat: illisq; certamen illud præclarum decertandi, cursum consummandi, fidem servandi animum addat. *2. ad Timoth. 4. v. 7. 8.*


B

XXVII.

Hæ causę bonorum operum, quas breviter enumeravi-  
mus, abundè testantur: quòd & bona opera sint necessaria:  
& quod, qui bonorum operum sunt expertes, non veram  
sed historicam, fictam & temporalem tantum fidem, qua-  
lis etiam in Diabolis & hypocritis, reperitur, ha-  
beant. *Matth. 13. v. 5. & seqq. Iacob,*

*2. v. 14. & seqq.*

πάντοτε δόξα Θεῷ.



Ornatissimo & Doctissimo Juveni,

DN. CHRISTOPH. HOFMANNO  
DE BONIS OPERIBUS

disputanti, amico ac fratri suo mul-  
tis nominibus carissimo.

**I**ndita diversis mens est diversa. Loquendi  
Hic vitam tenui, finit in arte sua.  
Ille facultates nummorum multilucrosas  
jactitat, & sophia spernit & odit opus.  
At te Hoffmannè juvat, Logices fundamine jacto,  
Altius ex imo pulvere ferre pedem.  
Nunc te Sacra juvant. Christum Christophore discis,  
Proponisq; tuas non sine laude Theses.  
Enucleas Operum finem, meritumq; bonorum;  
Quid, quorsum valeant, discitis egregie.  
Quis non ergò in te conatum prædicet istum?  
Quis tua judicio non probet acta suo?  
Cunctipotens Dominus, patulis te protegat alis,  
Ut bene sit membris, ut bene sit studiis.

Gratulabundus adjecit

Johan. Aquinus Hunno Brodenfis Morav.

**E**xperis, Hoffmannè, inculto charissime versu,  
Prosequar ut veteri pro ratione Theses;  
Annuo. Respondens docto sub Præsido doctus  
Quàm bene de sacris differuisse potest?

της Φιλαδέλφιας ἐννοια  
Johannes Dares Drzewvobo stizenue  
Morav.

**D**um, quam tractares, operum doctrina bonorum  
Prae multis placuit, CHRISTOPHORE, una tibi  
Ipse bonum moliris opus, laudemque mereris.  
De bono enim certe est differuisse bonum:  
Sed prestare bonum faciat quoque gratia Christi.  
De bono enim non est differuisse satis.

Samuel Wodniansky Novo-  
Pragensis. Bohemus,

**T**emporis es cautus nã dispensator euntis,  
Care Hoffimanne, situ qui non squalescere foedo  
Facundum sinis ingenium: verum exeris illud.  
Præmia nulla sopor; tribuit sed plurima sudor.  
Tramite perge viam recto decurrere coeptam.  
Exsegete hac messis, mirum, tibi quanta futura.

Sincero amico gratulatur  
Sigmundus Rosau.

**C**hristophoro nomen tibi rite dedere parentes:  
Quandoquidem Christi dogmata vera refers.  
Differit ille piè, Christi qui pendet ab ore:  
Dum facis hoc; ab eo præmia digna feres.  
Ergo Christophori faustè sic fungere sancti  
Officio; & sis omine Christophorus.

Amoris & favoris ergò f.

Matthias Ambrosius Polonus.



THESES  
EXEGETICÆ  
IN  
PRIMUM HOSCHÆ  
HÆCAPUT,  
QUAS

D. T. O. M. A.

in

Illustri, Illustris Schön-  
aichl, Gymnasio

PRÆSIDE

ERNESTO NOLDO S.S.

Theol. Professore,

ad

d. n. Martii

defendere conabitur

GODOFREDUS SONEEWEISS.

G. L.

ANNO MDCCCXX.

BETHANIÆ,

Excudebat JOANNES DÖRFFERUS.